

Kogacic, Benedict :

Ad Cosimum III. Magnum  
Hebreum ducem... B. Kogacic  
Prosucticon.

str. III.—XV

34/8 - 94

## T A Z I O N I

---

nagora intorno alla risurrezione de' mor-  
ti: GASPARO GOZZI, e per la prima vol-  
ta TARMA DE BIZZARRO. Venezia, Pa-

ne di AGNOLO DALMISTRO a GIOVANNI  
DOLCI, 1808. in 8vo.


8 k. p.

più circostanziate notizie della vita e  
legga le *Notizie Storico-critiche sulle*  
*a dc' Ragusei del P. Appendini, i Fa-*  
*sti Litterario-Ragusini del P. Dolci, e il Ragguglio della vita del*  
*P. Roccaer descritto dal P. Giuseppe Rocco Volpi nell'opera l'Ot-*timo Stato ec.**



F-VI-9

DE TERRAEMOTU  
QUO  
EPIDAURUS IN DALMATIA  
AN. MDCLXVII. PROSTRATA EST.



AD COSMUM III.  
MAGNUM HETRURIAE DUCEM

BENEDICTI ROGACCI  
*PROSEUCTICON.*

## ANNOTAZIONI.

---

(1) *Ragionamento di Atenagora intorno alla risurrezione de'morti, tradotto dal greco dal Co: GASPARO GOZZI, e per la prima volta pubblicato in morte di MARIA TARMA DE BIZZARRO. Venezia, Palestese, 1806. in 8vo.*

(2) *La Biblio filia, Sermons di AGNOLO DALMISTRO a GIOVANNA de BIZZARRO. Padova, Betttoni, 1808. in 8vo.*

(3) Chi bramasse d' avere più circostanziate notizie della vita e degli studj del P. ROGACCI, legga le *Notizie Storico-critiche sulle antichità, storia, e letteratura de' Ragusei* del P. APPENDINI, i *Fasti Litterario-Ragusini* del P. DOLCI, e il *Ragguauglio della vita del P. ROGACCI* descritto dal P. GIUSEPPE ROCCO VOLPI nell'opera l' *Ottimo Stato ec.*



F - VI - 9

DE TERRAEMOTU  
QUO  
EPIDAURUS IN DALMATIA  
AN. MDCLXVII. PROSTRATA EST.



AD COSMUM III.  
MAGNUM HETRURIAE DUCEM  
BENEDICTI ROGACCI  
PROSEUCTICON.

----- Sciat Itala tellus  
Haud Ragusinis vicinam serpere terris  
Barbariem: ingenuas sed libera stare per artes  
Moenia -----

JUN. PALMOTTA *in Panegyr.*



PROSEUCTICON.

*Inclite Regnantum, quo Lidia sceptra tenente,  
Per populos laevam funestis cladibus ire  
Fortunam, haud querimur: quidquid temeraria namque  
Illiis incursu cæco violentia vertit,  
Hoc tua res duras indignaque fata jacentum* 5  
*Commiserans veteri Pietas in sede reponit.  
Non secus ac diro metuendum gentibus astro  
Saturnum, Jovis excusat clementior ignis;  
Et tristes radios acuentem iu fulmina cogit  
Commodiore Venus flammâ mitescere Martem.,* 10  
*Nec modo munificus generosi hic pectoris ardor,  
Quas regit imperio, gentes complectitur: exit  
Latius, et manibus cum Sole per omnia sparsis  
Terrarum spatia et marium, queis regia jura  
Non reddit, populis, gaudet regalia dona* 15

XIV

*Mittere, quam titulis, meritis ingentior, et se  
Dignum Orbis probat imperio, dum consulit Orbi.  
Atque hoc Mediceas senos, insignia gentis  
Crediderim signare globos, Hetruria quamvis  
Sufficiat sceptris, pietati angusta videri* 20  
*Unius, immensi quamvis pomæria Mundi;  
Nec Macedum Regem victricia signa per Orbem  
Transque Orbem magis extendisse capacia vota,  
Cosmus magnanimum Heroum quam maximus Heros  
Proferat egregias curas et vota juvandi.* 25  
*Fleverit extremo Oceani se limite claudi  
Vesanus juvenis, nec posse aperire triumphis,  
Quotquot Democriti sapientia cuderat orbes:  
Hic contra sibi deesse locum, queriturque, creandis,  
Non quos invadat ferro, at quos vindicet auro,* 30  
*Deficientem operum Naturam parcere, Mundis.  
Quod si, ceu perhibent Sapientum pectora, primus  
Naturam informem confusaque semina rerum  
In speciem digessit Amor, rudibusque figuram  
Concilians, dispersa ligans, male juncta resolvens,* 35  
*Omnibus et formam reddens, atque omnia Formæ  
Jussit in hanc rerum pulchram coälescere molem;  
Qui tibi magnanimo, Princeps, sub pectore vivit  
Ornandi meritos donis, inopesque fovendi,  
Nec spatio finitus amor queque fessus agendo,* 40

*Dignus erat certe naturam augere, Chaoquē,  
Si quis adhuc latet, eruere, et disponere Mundum.*

*Verum age: Nil opus est tam longe accersere magnis  
Materiem meritis: adverso in littore surgit*

(*Quid loquor? Ah quondam, dum fata, Deusque tulere,* 45

*Surgebat) maris Illyricas Epidaurus ad undas:*

*Urbs opibus, famaque ingens, contexere Pontum*

*Classibus, inque omnes commercia-spargere gentes,*

*Nec minus ubertate soli, partuque virorum*

*Læta, sui juris, nullique obnoxia sceptro.*

*Nunc vero (heu nulla invitatis fiducia Divis!)*

*Turbine præcipiti labefacia, suisque sepulia*

*Ruderibus, spectaculum ipsis miserabile visu*

*Hostibus, immundo porrecta in mylvere sordet:*

*Et quoties fessum cœlo caput ægraque tollens* 55

*Lumina, tranquilla pelagi prospexit in unda*

*Degenerem formam; et violati signa decoris,*

*Lucem odit, nimiumque levij cecidisse ruinâ*

*Conqueritur demens, et fata novissima poscit.*

*Scilicet instabili subsultans cardine tellus*

(*Seu meditatus iter Cœlo vulcanius ardor*

*Impulit adversos obices: seu longa vetustas*

*Speluncas subter topis pendentibus alias*

*Cum sonitu dedit in præoops: seu spiritus omnem*

*Pervolitans naturam, alieque in membra receptas* 65

( VI )

*Injustas furias rapido concepit ab æstu :*  
*Seu cœli vis illa fuit) concussit ab imo*  
*Impositas moles , cœloque minantia vertens*  
*Jussit in antiquum gremium descendere saxa .*  
*Nec mora : deficiente solo , subducta labare* 70  
*Fundamenta , quat i turre , ruere ardua pessum*  
*Culmina , juncturæ lapidum ; et malefida resolvi*  
*Tectorum codgments : It cœlo pulveris atri*  
*Jurata ardente nubes extinguere Solem ;*  
*Urbsque diesque una pereunt . Confusus ad astra* 75  
*Luctisono gemitu , atque immensæ murmure stragis*  
*Erigitur fragor : et potuisti tu quoque forsan ,*  
*Magnanime o Princeps , solio sublimis ab alto*  
*Immanem nostræ sonitum exaudire ruinæ .*  
*Quo sonitu attoniti fugere a littore fluctus* 80  
*Quæque leves choreas tunc forte in gurgite summo*  
*Ducebant ludo Illyricæ Nereides , imas*  
*Auribus occlusis trepidæ absiliere sub undas .*  
*Ipse etiam strepitum advertens Neptanus ab alto*  
*Ingemuit pater , et caræ ne cerneret urbis* 85  
*Infandum excidium , medio caput aquore mersit .*  
*Proh superi ! quæ tunc nobis ( horresco revolvens*  
*Omnia ) deprensis tantâ in vertigine rerum*  
*Mens animusque fuit ! Capiti labentia tecta*  
*Exitium crudele ferunt : rimosa fatiscit* 90

Sub

( VII )

*Sub pedibus tellus : pavidas fragor attonat aures ,  
 Lucem oculis caligo , fugam eripuere ruinae .*

*Nulla salus : urgente malo circum undique septi ,  
 Capti oculis animisque altum descendere cœlum  
 Credidimus , verti nobiscum clementa , perire 95  
 Naturam , et Mundi in nihilum partem esse ruenis .  
 Nec timuisse quidem licuit : præsentia lethi  
 Abstulerat sensus : hinc desperatio lucis ,  
 Projectusque dies , nulla ore aut pectore vota :  
 Tantum altus stupor , inque vicem formidinis horror . 100*

*Jamque omni amisso veteris discrimine formæ  
 Templa , Theatra , Lares , privata et publica tecta  
 Præcipitata , eversa , informi strage sepulta ,  
 Procubuere : Urbs ante , Urbis nunc nomen inane ,  
 Et lacerum funus : Vix pauca relicta supersunt 105  
 Versarum domuum truncâ et male stantia membra ,  
 Serpentum latebræ nocturnarumque volucrum  
 Hospitium infelix : quæ , prætervectus ab alto  
 Vectorum ignaræ senior jam navita turbæ  
 Indice designet digito , atque , hoc littore , dicat , 110  
 Me juvene Illyricas una inter celsior urbes  
 Surgebat famâ et meritis Epidaurus Olympo .  
 Quas ego tectorum hic moles ! quæ robora quondam  
 Suspexi admirans ! quanto læta omnia luxu !  
 Nunc jacet humanae documentum flebile sortis , 115*

X VIII X

*Navibus et dirum præterlabentibus omen.*  
*Vi subitâ, et rapido terræ labefacta tumultu.*  
*Cernite saxorum cumulos disjectaque late*  
*Rudera: præteriti hæc vestigia sola decoris*  
*Jam superant, hos in cineres Urbs tanta resedit. 120.*  
*Sed leve tectorum, nec non reparabile damnum.*  
Quis populi indignam cladem, quis acerba renarret  
Funera, et innumerâ tam parvo in tempore mortes?  
Præcipites dominis super incubuere Penates:  
Ante aras Superûm ceciderunt victima Mystæ: 125.  
In triviis vulgus: tumulavit Curia Patres.  
Miscentur nullo subiti discrimine lethi  
Cum pannis trabeæ, cum sacris flammea vittis:  
Patricium funus, plebeja cadavera, sexus  
Imbellis meliorque, infirma et fortior ætas. 130  
Nec fuga veloces juvit, prudentia cautos,  
Insontes pietas, numerosa pecunia dites.  
Omnibus una dies, non unica mortis imago.  
Hi penitus mersi obtritique. in strage relinquunt  
Non agnoscendis confusæ cadavera membris: 135  
Corporibus fracti, et multâ jam morte receptâ  
Reptantes alii sociæ per cladi acervos  
Post sese laceros artus sua funera verrunt.  
Saucius hic largo per membra fluente cruento  
Vociferans fugit: ast illum velocior urget 140

XIX

*A tergo Libitina, cadūque in pulv̄e crasso  
Deprensus subitā gravioris mole ruinæ.*

*Tristior illorum facies, quos pondere vasto  
Oppressos mediāque sui plus parte sepultos  
Ante necem tumulo sors prædamnavit acerba.* 145

*Heu miseri! Nunc extremis conatibus altam  
Congeriem lapidum certant evolvere; fessi  
Nunc animis totoque exhaustis robore nervis  
Mortem orant: nunc in gemitus, lamentaque versi*

*Auxilia socios, et quondam fidā suorum* 150

*Pectora, per quidquid sanoti et venerabilis usquam*

*Conolamant: Frustra: Pietas formidine cessit:*

*Non patris senium, non dulcia pignora natos*

*Eripuisse vacas: tumulatam in strage maritus.*

*Consortem thalami, et se nomine sœpe vocantem* 155

*Deserere haud dubitat: propiora pericula terrent.*

*Et sociū exemplis, quæ sint sibi quisque timenda*

*Admoniti properant fugiendo evadere fata.*

*Non ego si centum solido cere sonantia linguis*

*Guttura cum totidem Briareus vocalis haberem,* 160

*Ingeniumque mihi rapido torrentius amne*

*Eloquii immensis in carmina fontibus iret;*

*Quæ dedit illa dies, variae ludibria sortis,*

*Multiplicesque vias et tot nova nomina leshi*

*Expediam cantu, aut dignis ploratibus æquem.* 165

Sic

X X X

*Sic habet. Immitis nostro Fortuna labore  
Pascere, corque ferum oæsis tot millibus exple:  
Occidimus: versa est Epidauri gloria. Lætos  
Ducere quid cessas miseræ de gente triumphos?  
Vicisti. Cur vero? Haud sio temeraria oæco 170  
Turbine volvuntur fata, ut tibi vertere fundo  
Immeritas liceat, prout jusserrit impetus, Urbes.  
Quondam etiam faciles miserorum injuria Divos  
Sollicitat, Parcæque horrenda retexere gaudent  
Licia. Quid solidas naturæ impellere partes 175  
Profuit, et oæcum in tecta effudisse furorem?  
Ringere: Nil furii actum et molimine tanto:  
In cassum cecidere minæ: Manet ecce superstes  
Cladibus, et longum invidiæ plorante manebit  
Antiquus decor: ipsa novas injuria vires 180  
Suggerit. Ac veluti per acutæ vulnera falcis  
Et variam cædem, sobolescere lætius arvis  
Cernimus, inque novos fætus et munera vita  
Sufficere: ut palmis nitentia pondera contra  
Altius in oælum ramis audacibus ire 185  
Impetus est: perhibentque, semel cum fracta, tenacis  
Naturæ ingenio coalescere firmius ossa;  
Haud secus, insano quæ turbine concita nostras  
Tempestas afflixit opes, majora nocendo  
Incrementa dabit patriæ, prostrataque virtus 190*

*Crescendi vires animosque a funere ducet.*

*Haud novus hic ludus : vastatrix flamma novavit*

*Romuleas arces , meliorque e clade resurgens*

*Fœdifero potuit Roma ignovisse Neroni .*

*Jamque adeo rursum generosam attollere frontem 195*

*Incipit abstero squallore Epidaurus , et ipsis*

*(Nil terret **Fortuna loci**) super alta ruinis*

*Mansuri imperii atque Urbis fundamina ponit .*

*Quod si nondum etiam veteris vestigia famæ*

*Attigit , inque suum tarde consurgit honorem , 200*

*Cosme , tuæ quæruntur opes : tu attollere solus*

*Collapsam potis , et meliori reddere fato .*

*Præcessere quidem auxiliis , Regnator Iberus ,*

*Et geminus , Cœlo majestas æmula , Clemens ,*

*Luaque , non propriæ tantum , sed quidquid ubique , 205*

*Libertatis amans , Venetique , potentia corda*

*Consilii , decus Italiae tutelaque , Patres .*

*Sed supremum operi nimirum accedere culmen*

*Te sine fata vetant . Velut oppugnata perire*

*Pergama non poterant , vincenda in mœnia donec 210.*

*Herculeæ remearet onus fatale pharetræ ;*

*Auspicijs sic , Magne , tuis consurgere nostra*

*Mœnia , vel numquam consurgere , stamine certo*

*Sanxerunt nentes mortalia sœcula Parcæ .*

*Ergo age , cunctantis molimina grandia fati , 215*

( XII )

*Difficilesque operum progressus numine dextro  
 Expedias. Tibi se reparatam debeat Urbis  
 Gloria, nec sortis miseræ crudele trophæum,  
 Medicei at potius monimentum insigne perennet,  
 Nominis. Accedet, tam caro vindice, nostris 220  
 Et decus et tutela opibus. Sit cæca, sit excors  
 Lœvaque consilii Fortuna, lachessere numquam  
 Audebit, magni quam Cosmi erexerit Urbem  
 Dextera: teque tuos Divos atque omnia gentis  
 Submittente, sinu exorata fovebit amico 225  
 Impositas arces novaque addita mœnia tellus.*

*Nec quod adoratis novi inexpertique clientes  
 Littore ab externo nunc primum advolvimur aris,  
 Verbaque Fortune loquimur præsentis, et albas  
 Præferimus manibus vittas, cum supplice ramo, 230  
 Sperne viros. Magnæ sunt nobis conscientia laudis  
 Pectora, nec segnes animi, sunt saecla virorum  
 Fortia, perque omnes exculta fideliter artes.  
 Ponere muneribus pretium, atque expendere scimus  
 Officii momenta, vicesque in tempore justas 235  
 Reddere, nec, nostris venias si casibus æquus,  
 Aut apud immemores meritum periisse dolebis,  
 Aut apud indignos pretium vilescere doni.  
 Marmore te pario stantem, nutuque potenti  
 Semirutas arces lacerataque tecta jubentem 240*

( X III )

*Surgere, spectabunt seri agnoscentque nepotes.*

*Omnia anhelabunt sudantibus usque caminis*

*Ambitiosa tuos in vulcus ire metalla.*

*Aeneus inde forum implebis, neve alta tremiscant.*

*Fundamenta iterum, librati mole Colossi* 245

*Firmabis medius gaudentem hoc pondere terram.*

*Tu radii labor et cæli, tu nobile fies*

*Artificum doctis conatibus argumentum.*

*Sed quoniam sœclis volventibus omnia cedunt*

*Aeraque marnioraque, et mortalis dextera quidquid* 250

*Condiderit; senio tandem expugnante perire*

*Sat nostri monumenta docent nos tristia luctus;*

*Quæ magis ipse velis, in quæ nil ferrea Clotho*

*Juris habet, summo et tollemus in aggere Pindi,*

*Non Phidiæ, vel Praxitelis, non arte Myronis* 255

*Structa, sed Aenio simulacra perennia cantu.*

*Te docti vates (neque enim Illiris ora Canænis*

*Invia: sunt alacres circum præcordia flammæ*

*Seminaque alta vtris, et, si sacer impulit ardor,*

*Bacchari Phœbo, vix pectora plenior intrat* 260

*Illa Deus) plectri numquam graviore cothurno*

*Æquabunt superis, et longa in sœcula mittent.*

*Egregias illi laudes tuaque inclita facta*

*Incident lauris, chartis vivacibus addent,*

*Formabunt cytharis, vocalibus inspirabunt* 265

*Cannis,*

( X I V )

*Cannis, immo tubis, Cyrrhæque per omnia Cosmum  
Antraque, littoraque, et nemorum secreta sonabunt:  
Cosmum alti scopuli referent, nemora avia Cosmum.*

*Sed tua nil stimulis eget, aut hortamine Virtus,  
Ispa sibi calcar, neque te mortalia tangunt. 270  
Præmia, vel sermone hominum plausuque moveris,  
Maxima cui, fecisse, videntur præmia facti.  
Et nunc, quod seri tandem post altera lustra  
Ad tua detulimus miseros altaria questus  
( Is pietatis honos, adeo tibi prompta voluntas) 275  
Objurgas trepidum et cessantem in vota pudorem,  
Teque morā læsum quereris, reliqua omnia mitis  
Supplicibus, solum indignans quod sero rogaris.  
Macte animis, Heros, tantis! Hæc gloria nempe  
Mortalem immiscet Superis: benefacta per orbem 280  
Sublatis monstris debellatisque tyrannis  
Alcidem ( unde tibi genus, et sublimis origo).  
Sacrarunt cælo: quem frustra insanus honorem  
Regnorum excidiis, et tanto sanguine mundi  
Quæsivit Macedo: Nimirum perdere letho, 285  
Non magnæ virtutis opus: leo, vipera, tygris  
Tantum etiam possint: letho eripuisse Deorum est.  
Quod si per clades varias et tristia rerum,  
Te tantum nobis assertorem astra parabant,  
Nec parvo constare cælucœ debuit urbi 290*

Gran-

( X V )

*Grande patrocinium; sœvis ea crimina fatis  
Donamus: numquam placida atque faventia tantum  
Juvissent. Fuit, o, cecidisse a culmine tanti  
Sic surrecturis. Et quæ est tua gloria, Princeps;  
Vindice quo miseris ipsæ placuere ruinæ? 295  
Sic mala dum superas, absolvis, nec minus illis,  
Quam sit servari nobis, facis utile vinci.  
Nos tibi depulsam cladem; depulsaque debet  
Nostra tibi, quod non dicatur noxia, clades. 299*

